
Petrus Hegelund

1580.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 719 4°




Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 719 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 719 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 719 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 719 4°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 719 4°

44. - 39 - 4°

Bot

ECLOGA
IN HONOREM
NUPTIARUM VIRI
ERUDITIONE PIETATE COETE-

(Efter Ekspl. i Videnskabsselskabets
Bibl. i Trondhjem.)

LN 719

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 719 4°

IN

[...] IARVM VIRI

[...]TIONE PIETATE COETE-
RISQVE VIRTVTIBVS ORNATISSIMI
M. PETRI HEGELVNDI. S. S. THEO-
logiæ apud Ripenſes Lectoris di-
gniſſimi.

ET

SPONSÆ EIVS PVDI-
CISSIMÆ MARGARETÆ D. GE-
ORGII PETRÆI ECCLESIASTÆ
ET PRÆPOSITI TVN-
drenſis filiæ.

Scripta
à
PETRO IOHANNE
Ripenſi.

Clariſsimo et Doctiss[...]
Viro D. Georgio Pet[...]
Apud Tundrenses, E[...]
siastæ et præposito
dignisſ. Mecoenati
fautori omni sub[...]
one colendiſs. m[...]
Petrus Johannis [...]
pensis.

ROSTOCHII

EXCVDEBAT AVGVSTINVS FERBERIVS.

Anno M. D. LXXX.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 719 4°

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 719 4°

SYLVVLVS. FAVSTVLVS.

CVR tam ſerus ades? iam tertia Fauſtule lux eſt, Syl.
Ex quo te noſtræ expectabant cernere ſyluæ,
Et tua mœrentes cupiebant iubila tauri.
Serus ades nimium, modò Tityrus & puer Alcon
Secum certârunt alternis verſibus ambo
Iudice me, ſed non ſine pignore, Tityrus hædos
Iuncta matre dedit, ſenos dedit ille palumbes,
Cantârunt ambo, ſed pignora ſuſtulit Alcon.
Ah quaſi; quid tales ego ludos Syluule curo? Fauſt.
Num ſteriles fagos noua quàm ſpectacula mauis
Cernere? crede mihi non hæc certamina poſſunt
Æquiparari iſtis, modò quæ ſpectacula vidi.
At mihi perpetuò ſuper omnia prata placebunt Syl.
Et gelidi fontes, fœcundaq; frugibus arua
Et reſonæ valles, & amici vallibus amnes,
Vmbroſi colles, & amicti floribus horti
Fauſtule noſtra quies, & laus, & ſola voluptas,
Syluarumq; ingens decus, & quem Pan veneratur
Tantopere vt iaculo nolit violare volucri.
Mirabar quæ cauſſa foret tibi in vrbe morandi,
Cum tua in incertis ſic irent paſcua ſyluis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 719 4°

Et tua frondiferis ceſſaret fiſtula campis.
Quàm ſine te mœſtus tribuebat Tityrus hœdos
Alconi, licet egregiè eſt ſuperatus ab ipſo.
Sed mihi dic rerum num fers quid ab vrbe nouarum,
Vultu quandoquidem ſolito nunc lætior adſis?

Fauſt. Scilicet: has omnes licet haud ſuperatus ab illo
Tityrus adduxiſſet oues caprasq; bouesq;,
Deniq; quidquid habent pecudum ſua pinguia rura
Non ſic grata forent Alconi, ſat ſcio, quàm ſi
Vidiſſet quæ nos illa ſpectauimus vrbe.

Syl. Dic agè, Fauſtule dic, nec noſtras inuidus aures
Deſpice, ſint ſocijs communia gaudia quæſo.

Fauſt. Quæ petis ô Sylui paucis aduerte monebo.
Noſtin delubrum quod nubes vertice tangit,
Ad quod multa ſolent noſtro de rure coloni
Quæ venalia ſunt armenta abducere, noſtin?

Syl. Ah nimium noui, ſatius nunquam mihi noſſe
Aut turrim aut vrbem fuit, ah quoties ſubit iſta
Vrbs mentem mihi, diluuium formido, nec vnquam
Si vel Pan vitam mihi conceſſiſſet in annos
Tam multos, baculis me ſuffulcire duobus
Vt ſit opus, turres iſtas accedo, nec vrbem.

Fauſt. Syluule, ſtultitiam tantam demiror, an vrbem
Formidas, tibi quòd fuerit ſemel vnda periclo?
Eſt Vrbs illa mihi gratiſsima, nec ſinit vnquam
Me quoties hædos vel quæquam talia porto,

Quin

Quin ſemper grauis ære domum redeat mihi dextra.
Dic ergo mihi quæ fuerint tibi Fauſtule tantæ Syl.
Læticiæ, vt triduo hoc ſic tardus in vrbe maneres.
Hoc ipſum bone vir, Iam connubialia feſta
Concelebrantur ibi (fauſtis ſucceßibus opto) Fauſt.
Si pompam nouiſſe voles ſic accipe paucis:
Magna puellarum primo eſt mihi viſa caterua
Sic obducta auro, atq; ita veſte ornata decenti,
Vt Galatea queat non adſimilarier iſtis,
Sit licet illa ſatis formoſa, & veſte ſuperba.
Inde puellares inter pulcherrima turmas
Virgo erat alba comas, alijs formoſior, annos
Ter quinos propè nata, aut circiter, ore nitenti
Exuperare potens quot habent tua rura puellas,
Hæc eadem à capite ad talos auro decorata
Sic fuit, vt Triuiæ hanc poſſem æquiparare Dianæ,
Aut etiam Veneri, aut ſi quæ formoſior vlla eſt
In celſo ſub quo ſemper verſamur olympo:
Inceſſu grauis illa fuit, tum ſplendida veſtis
Circa corpus erat, neq; defuit inclyta virtus:
Nympham præſtantes ducebant ordine bini
Heroes, ſocia ſequitur cum, pronuba mater,
Ornantes pulchros aurato pectine crines.
Quis tantam pompam tibi ſignificabat amicus, Syluul.
Non puto, ſi media iam iam verſarer in vrbe
Me quiſquam alloqueretur, vt eſt iam ruſtica cunctis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 719 4°

Vita inuiſa, niſi loculos ferat ære repletos.
Fauſt. Tympana pulſantem audiui, tibiasq́ ſonantem.
Inde ego, qui calamos teneris inflare ſub annis
Addidici, accurro, ad templum properatur, & ipſe
Cum reliquis ſtabam defixus, & ore patenti,
Cunctaq́ mirabar, nec dum bona ſingula noram,
Tum mihi vir ſenior lateri qui forte ſiniſtro
Iunctus erat, verbis ſic affabatur amicis.
Quid tantas miraris opes, qui neſcius auri,
Sordida tecta, caſas, & ſola mapalia noſti?
En ego tam tremulus, tam vertice canus, & ipſa
Factus in vrbe ſenex, ſtupeo, tamen omnia certè
Sunt maiora mihi, quam quæ fugientibus annis
Vidimus, & ſordet quidquid ſpectauimus olim.
Aſpice tu Nymphæ faciem precor, aſpice pulchram
Quam natura dedit, res eſt ea nobilis, ecce
Quàm bene conueniant, & forma, & nomen in illa:
Exuperat venerem digitis, & crine Dianam,
Et caſti ſpecies animi indicium tibi monſtrat,
Purpureæq́ genæ ſunt illi, & candida colla,
Illa oculos non tollit humo roſeumq́ labellum
Comprimit, & nullas emittit pectore voces.
Syl. Certè ego ſi ſciſſem tantas modo in vrbe futuras
Pompas, tam læto præſertim tempore, certè
Ipſe greges noſtros liquiſſem ad prata vagantes.
Fauſt. Plura audi poſtquam in templum venêre, repente

Exci

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 719 4°

Excipiunt illos cantu fidibusq́ ſonoris
Adq́ chorum ſtatuunt, venit tum protinus vnus
Egregius forma, & cultu venerandus, & illos
Pluribus alloquitur, quæ non memini bene, ſed ſi
Credere vis illis, qui rem mihi pandere totam
Sunt conati, idem eſt his talia dicere viſus.
O felix virtute tua nitidiſſima virgo
Educta ingenuè, caſtoq́ aſſueta pudori
Vlterius tibi mens non adferat anxia curas,
Sed noua coniugij pertentent gaudia pectus.
Aſpice quàm multi te ſunt vel ſponte ſecuti
Quanq́ tuos clara paſſim virtute ſequuntur.
Hîc locus, hîc patria eſt, vbi nullo tempore abeſſe
Laudibus à magnis poteris, meritisq́ tuorum.
Eſt tibi perpetuo ſociatus fœdere lecti
Vir verè doctus, quo non formoſior alter,
Quem finxêre manu charites, ipſæq́ ſorores
Nereides inter gemmas aluêre marinas,
Hic te ſuſcipiet ſponſam ſibi, teq́ fouebit
Vt corpus proprium, nec quadam clade nocebit.
His animi ſponſus donis virtuteq́ motus
Expetit hanc ſancto ſibi iungi fœdere ſponſam,
Inq́ ſuos duci ſacris thalamos hymenæis.
Non negat: at ſumma cum relligione volenti
Dat pudibunda manus gaudens ſe fœdus inire
Sponſo cum tali, & multos ſperare nepotes.

Quas tulit adiunctas formæ neonympha decoræ
Virtutes, gracilis prohibet memorare cicuta.
Quinetiam fermè iam merſus in æquore ſol eſt,
Infeſtis igitur ne forte latronibus ambo
Simus præda vagæ per opaca ſilentia noctis
Diſcedamus, & hanc platanum corylosq; virentes
Linquamus, noſtrasq; ſimul properemus ad ædes.
Syl. Tu tamen interea nomen ſponſi & Neonymphæ
Dic mihi, ſi potero quicquam prodeſſe, viciſſim
Prodero, me gratum inuenies, & ad omnia pronum.
Fauſt. Eſt Petrus ſponſo prudenti nobile nomen,
Qui manet antiquæ ſtirpis generoſa propago
Hegeliæ, hic Ripis primis nutritus ab annis,
Erudijt teneram magna cum laude iuuentam
Annos permultos, multoq; labore, ſed illo
Munere, ceu puto, perfunctus, maiora ſubibit
Munia, tractabit ſacrata volumina legis
Diuinæ, atq; eadem tradet ſibi nota iuuentæ.
Syl. Hunc noui egregiè, vir hic eſt bonus, illeq; noſtrum
Thyrſida (qui noſtræ pertæſus munera vitæ
Aufugit gregibus multa ſub nocte relictis)
Erudijt, totoq; decem ni fallor ad annos.
Fauſt. Margaris eſt nomen neonymphæ, eſt illa pudica
Et forma ſpecioſa ſatis, virtutibus aucta
Pluribus, & teneris perbellè educta ſub annis.
Huic pater eſt præſtans doctrina, & moribus, eſtq;
Diuini

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 719 4°

Diuini paſtor verbi, præcoq́; fidelis,
Cuius erit teſtis locuples, Vrbs Tundria, multos
Vixit vbi magna cum laude Georgius annos
Petræus, munusq́; ſuum cum dexteritate
Perfecit: mater ſponſæ Elizabeta pudica eſt
Et proba, præclarè donis muliebribus aucta,
Huic fratres duo præſtantes probitate, magiſter
Albertus, qui iam Riſemorica rura beata
Incolit, hic etiam diuini buccina verbi
Ingenio valet & vera virtute triumphat,
Hic muſas amat, à Muſis redamatur, iniqua
Otia contemnit, neq́; ducit chymica turpe
Sectari, veluti demens ignauaq́; turba,
Fratre nec inferior Samuel Meyerus in Vrbe
Rensburgo, reſonans diuini buccina verbi
Præpoſitusq́; loci iſtius, vir vndiq́; clarus
Doctrina & pietate viget rebusq́; gerendis,
Tum conſanguineus Petrus, cui laurea nomen
Addidit, eximius ciuis Tundrenſis, & idem
Eſt ædis ſacræ tutor: non cuncta referre
Nomina tam magni generis pro tempore poſſum.
Hos omnes bene cognoui, gens eſt ea cunctis
Et probitate atq́; ingenijs, virtuteq́; nota,
Ergo cum dudum Phœbus caput occulit vndis,
Cunq́; inſtent atræ fluitantia tempora noctis
Acceleremus iter, ſat erit nobis, neonymphis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 719 4°

Fauſta vouere, precor viuant valeantq́; per annos
Neſtoris, & fauſta ſint ſorte & prole beati.

AD CONVIVAS.

Vos ergo Hegelÿ tædas decorate iugales
Margaridosq́;, viri inſignes virtute, fideq́;,
Quos natalis habet Ripæ mea patria, queisq́;
Attribuit Pallas canonis de nomine nomen:
Quorum tu iure es præſul digniſsime primus,
Qui poſtquam patriæ ſumma cum laude iuuentam
In ſacris ſtudÿs formaſſes, omine fauſto
Tauſani ſupplere vicem (poſtquam inde receſsit
Paulus Matthiades Sialandica templa gubernans)
Eligeris, tanto ſoceri veſtigia ſancta
Sectaris ſtudio, vt dubitem cui ſit tribuenda
Palma, tibi aut illi, ſuperas qui ceſsit in auras.
Sic ſic Lagoni Tauſanum imitaris, & eius
Inſigni ſequeris veſtigia dexteritate.
Te non inferior, ſenio venerandus & annis
Ianus, cui natale ſolum Vibergia, ſummus
Archidiaconus eſt. Suaningius inde Decanus
Eſt patriæ, ingenio vir magnus & arte celebris,
Qui ſtudio ſummo veterum monumenta reuoluens
Elicit ex adytis Monachorum Danica tellus
Temporibus priſcis quid geſſerit; idq́; ſagaci

Expolit

Expolit ingenio & noſtros traducere in vſus
Inſtat: ſi tales habuiſſes Dania multos
Suaningos, non ſic mutilatus Saxo per annos
Quingentos eſſes, totidem neq; facta regentum
Danos tam tetris eſſent obducta tenebris.
Ordine conſequeris Suaningum ſanguine cretus
Mulorum Caſpar, magna cum laude potentes
Qui quondam Heroes docuiſti, præpoſitiq;
Munus agis, magnus vera pietate fideq́;.
Tum tu qui priſco maiorum ſanguine gaudes
Langorum Chriſtiane, cui complurima quondam
Munia erant, noſtro dum Mars ſæuiret in orbe,
Cui nunc mandatum eſt Cantoris munus honeſtum.
Quis Thomam cruda tendentem in fata ſenecta
Neſcit? qui didicit patienter ferre malignos
Ictus fortunæ, dum triſtia funera vidit
Natorum, media ſic deflorere iuuenta.
Aut quis Iacobum non nouit, ouile tenellum
Qui Chriſti fouet, atq; ſalutis pabula præbet:
Quiq; gregem demandatum ſibi, ſemine verbi
Puro ſic paſcit, vitaq; præire modeſta
Sic pergit, verum vt paſtorem dicere poſſis:
Tum ſtudijs alijs, ſi fortè per otia poſſit,
Inuigilat, ſolers naturam inquirit, & inde
Se celebrem reddit magis & magis, otia vitat.
Sedulus huic ſocius iunctus Laurentius, almas

Aonidum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 719 4°

Aönidum muſas qui cum bene noſcat, id ipſum
Nititur, in veros illas vt transferat vſus.
Non ego Velleium memorem, qui munere ſacro
Fungitur, Hafniaca paſtor venerandus in arce.
Aut Petrum Hegelium, prudens qui conſul in vrbe eſt
Ripenſi: hic Muſas ſincerè diligit, eſtq́;
Fautor ijs ſua qui ſacris dant nomina Muſis.
Iam neq́; præcones christi patriæuè ſenatum,
Aut reliquos patriæ ciues mea Muſa ſonabit:
Nec vos qui ſponſo vel ſponſæ ſanguine iuncti
Eſtis: nec reliquos qui concelebrare benigno
Aduenere animo genialia gaudia tedæ
Hegelij; hoc vnum precor, vt iuueneſq́; ſeneſq́;
Exhilarent animos faueantq́; nouis Neonymphis.
Quod ſupereſt dominum votis ardentibus oro,
Vt qui connubij primus ſocialia iura
Inſtituit, vitæq́; pijs ſolatia præbet,
Hic vos tranquillos caſtæ moderamine vitæ
Vnanimeſq́; ſibyllinos conſeruet in annos,
Et pulchra atq́; pia faciat vos prole parentes
Perpetuoq́; domus procuret commoda veſtræ:

FINIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 719 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 719 4°